

The Electronic Manipulus florum
www.manipulusflorum.com

Resurrectio q
cum fonte primo

Consideremus paruum cuiuslibet arboris semen quod in terra iacitur ut arbor ex illo producatur et comprehendamus si possumus, ubi in illa tanta paruitate seminis tam immensa arbor latuit que ex illo processit, ubi lignum, ubi cortex, ubi uiriditas foliorum, ubi ubertas fructuum. Nunquid nam in semine tale aliquid uidebatur cum in terra iaceretur?

Quid ergo mirum si tenuissimum puluerem a nostris oculis in elementis redactum cum uult Deus in hominem reformat, qui ex tenuissimis seminibus immensa arbusta reintegrit?

Gregorius ibidem (libro XIII. moralium).

Consideremus ergo paruum cuiuslibet arboris semen quod in terra iacitur,
ut arbor ex illo producatur, et
comprehendamus si possumus, ubi in illa
tanta breuitate seminis tam immensa
arbor latuit quae ex illo processit;
ubi lignum ubi cortex, ubi uiriditas
foliorum, ubi ubertas fructuum.
Numquidnam in semine tale aliquid
uidebatur cum in terra iaceretur?

Et tamen occulto rerum omnium opifice cuncta mirabiliter ordinante, et in mollitie seminis latuit asperitas corticis, et in teneritudine illius absconsa est fortitudo roboris, et in siccitate eius ubertas fructificationis.

Quid ergo mirum si tenuissimum
puluerem, uel a nostris oculis in
elementis redactum, cum uult, in
hominem reformat, qui ex tenuissimis
seminibus immensa arbusta redintegrat?

Gregorius Magnus, *Moralia in Iob*, 14, 55 (CCSL 143A, M. Adriaen ed., p.742, ll.75-88).